



Officium de Cloen Decanus, Vivilhelmo Peuscher seniorum totumq[ue] Capitulum Ecclesiae Ratisponensis. Universis & singulis Venerabilibus ac honorabilibus patribus & dominis Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Administratoribus, Commendatoribus, Praeceptoribus, Cœterisq[ue] Prælati Monasteriorum, Domorum religiosarum & ecclesiarum tam Collegatarum, q[ue] regularium & parochialium Rectoribus exemptis & non exemptis, Necnon Decanis & Vicedecanis ruralibus ceterisq[ue] Præbiteris curatis & non curatis, per Ciuitatem & Diocesim Ratisponensis. ubilibet constitutis ad quos præsentes nostræ literæ peruererint, Salutem & fraternalm in domino charitatem, Plurimum proxime præteriorum Annorum recordatio ac præsentium temporum diligens consideratio, oculis nostris luce clarius subiiciunt, non solum quantum malorum omnium cumulum, quasue omnia fariam perditissimarum antiquarum, ac plurimum recentium, & antea in auditarum hæresim, scismatum, & errorum spinas, & tribulos diuturna generalium Conciliorum, ac Provincialium, & Episcopalium synodorum, & visitationum intermissio, & neglecta celebratio, in uinea Domini Sabaoth produxerit: Necnon quanta inde enormum uitiorum, excessum, abusum, damnum, et incommodeorum inundatio in Ecclesiæ Dei nauim, in huius seculi Pelago periclitantem profluxerit, Verum etiam (Abysso Abyssum inuocante) quanta ad infelicitatis huius numeros omnes complendos, protinus ex eodem fonte, in utroq[ue] statu, ecclesiastico nempe, ac seculari, effrenis peccandi licentia, & indisciplinata incorrigib[ilitas], & inobedientia proruperit, ita ut eo res deuenerit, quod peccata grauissima non tantum excusari, sed (Deo impias mentes iusto suo iudicio obsecante, & in reprobum sensum præcipitante) etiam pro virtutibus haberi sint cæpta, & in illorum perpetratione (proh nefandum scelus) obsequium Deo præstari sit affirmatum, & dogmatizatum. Vnde ad iustum furorem merito prouocatus, & accensus Deus, Terram peccatricem percutiens, & a sanctuario suo incipiens, tales in Ecclesiæ, eiusq[ue] ministros persecutio[n]es, & sacrorum omnium prophanationes ac demum in Christianam Rem publicam, & præsertim in nationem Germanicam factio[n]es, & seditiones rebelles, ac intestinorum, & externorum, ac imprimitur Turcicorum atrocium bellorum turbulentissimos, et perniciosissimos tumultus immisit, ut pro tantis aduersitatibus, & impedimentis, ac magna animorum in religione discrepantium dissensione, Ecclesiæ Germanicae Catholici Præsides, pro eorum pastorali officio, non potuerint, quod summopere desiderabant, & urgens necessitas exigebat, prædictum unicum, salutare, ac præsentaneum synodorum, ac visitationum remedium tantis malis in natione Germanica frassantibus adhibere, Nec pro captu humano propter insignem confusione[m], sperari poterat, ut breui daretur dicti remedij adhibendi opportunitas. Verum quum Deus, qui se Ecclesiæ suæ usq[ue] ad consumationem sæculi affuturum est pollicitus, & quanto magis illa omni humano consilio, et auxilio fuit destituta, eidem tanto mirabiliori, benigniori, et celeriori ope semper affulit. Tandem has desperatas Ecclesiæ suæ afflictiones miseratus, summa prudentia, uirtute, & indefessa ac humanas uires excedente opera sacratissimi, ac Inuictissimi Domini, Domini Caroli Romanorum Imperatoris, orthodoxæ Religionis instauratoris, ac quietis, & pacis Christianæ fundatoris glorioissimi, Domini nostri Clementissimi, ad tantum opus conficiendum sua diuina misericordia secundum eorū suum electi & destinati, præmissas Ecclesiæ periculosa, & naufragium minantes, tempestates, præter omnem humanam expectationem, ex insperato pro bona parte tranquillauerit, prædicti Germanicae Ecclesiæ Catholici Antistites in proximis Imperialibus Comitijs Augustæ celebratis præsentes, ac absentium oratores ibidem existentes concorditer statuerunt, tantam provincialium & Episcopalium Synodorum, nec non visitationum, quæ dominici agri præcipua sunt cultura, pro instauranda & conseruanda Orthodoxa Religione ac reformatione, pace, unitate, & incremento Ecclesiæ, ac fidelium æterna salute, et in præsenti sæculo temporaria prosperitate promouenda, in pristinum & debitum usum revocandarum occasionem nequaq[ue] diutius, præsertim in tam urgenti Ecclesiæ & Nationis Germanicæ necessitate, esse negligendam. Et ideo, adhortante etiam ipsos ad hoc Imperatoria Maiestate præfata, & mentem suam desuper in formula quadam in scriptis redacta declasrante, ac sanctissimi huius operis festinum aggressum, continuationem, et optatam consumationem in præmissis Comitijs sollicite urgente, Antistites prædicti ulterius unanimi sententia in hoc conuenerunt, ut pro præmisso debito, & admodum necessario, pastorali officio suo, omni ulteriori mora sublata, quæ hactenus (ut prædictum est) plurimum nocuit, exequendo, Episcopales synodi ad instans festum Sancti Martini, Provinciales uero ante Quadragesimam proxime uenturam. Quos breves terminos magnæ negoti huius necessitate conuenire, ac Maiestati Cæsareæ placere nouerunt, celebrentur. Post quam initam, & conclusam deliberationem, eiusq[ue] Maiestati Cæsareæ præmissam exequotionem, quum statim Ecclesiæ nostra sedes Episcopalis per obitum Reuerend. in Christo p[re]pati Domini, Domini Pangracij p[re]iae memoriae Episcopi nostri uacaller, uoluissemus utiq[ue] totum hoc indicendæ, & celebrandæ synodi negotium in Apostolicam confirmationem Reuerend. in Christo patris, & Domini, Domini Georgij Electi nostri suspendere, eidem Domino nostro Electo in hoc munere exequendo deferre (sicut decet) cupientes. Verum quoniam plurimum uereamur, Confirmationem prædictam in debito termino præfato minime assuturam, uisumq[ue] sit nequaq[ue] nobis licere, ut Ecclesia nostra a supramemorato Catholicorum Antistitutum totius Germaniae communis consensu edito admodum necessario Decreto resiliat, illiq[ue] contraueniat, seu suspensionem, aut prorogationem aliquam in illo faciat. Quum etiam subsequeenter præfata Cæsarea Maiestas post finita Comitia Imperialia prædicta, omnes, & singulos Antistites præfatos, ad præmissa omnia, quæ in dictis Comitijs per ipsos conclusa & promissa sunt prosequenda, & iuxta ipsorum receptionem, ad effectum perducenda, per nouas, & speciales literas seriosius admonuerit, & requisuerit. Ideo nequid omittatur, quod ad tam sancti, p[re]i, & admodum necessarij operis consummationem faciat, neue Ecclesia nostra de aliqua circa hoc negligentia, & omissione possit redargui illaq[ue] a Deo & hominibus de manibus nostris requiri. Nos Decanus & Capitulum præfati, quibus cura & administratio Episcopalis, ante prædicti Electi nostri Apostolicam Confirmationem incumbere, & pertinere dignoscitur. Vos Dominos Prælatos, & alios suprascriptos, ac uestrum quemlibet tenore præsentium in domino hortamus, euocamus, requirimus, & monemus, uobisq[ue] nihilominus & cuilibet uestrum in uirtute sanctæ obedientiæ, quantum de iure possumus, & debemus, præcipiendo mandamus, quatenus feriatertia post festum Sancti Martini proxime uenturum, quæ erit Tertius decimus dies Mensis Novembri immediate futuri, mane hora primarum, in Ecclesia Cathedrali Ratisponensis, personaliter compareatis, & quilibet uestrum, omni illegittima exceptione semota, compareat. Quilibet etiam Decanus ruralis, conuocatis ante terminum prædictum in loco, & die competenter, bus Decanatus sui Plebanis, facta eis præsentium literarum insinuatione, & præmissa debita defectuum, & eorum, quæ necessaria fuerint, inquisitione, & admonitione, quatenus haberi possint, unum, vel duos ex posterioribus, cum aliorum mandato sufficienti, iuxta formulam ipsi Decano transmissam, etiam si opus fuerit, in eiusdem solius Decani vel in eius defectum, in alterius per Congregationem ad hoc deputandi Præbiteri personam expediendo, deputari faciat, quos una secum, omnium fratrum nomine & communibus illorum sumptibus comparituros adducat. Ad synodum Diocesanam una nobiscum, ad honorem, & gloriam omnipotentis Dei, suæ Ecclesiæ restitutionem, inchoandum, celebrandum & salubriter perficiendum. Et insuper ad uidendum, & audiendum quæ pro hæresibus, scismatibus, & erroribus extirpandis, pro orthodoxa religione, & doctrina stabilienda, pro sacramentorum recta & Catholicæ administratione reducenda, pro morum & excessu[m] reformatione statuenda, pro grauaminum contra imunitatem Ecclesiæ introductorum abolitione facienda, & quæ pro alijs Ecclesiæ, & communi Clero huius Diocesis incumbentibus necessitatibus uisa fuerint expedire, in medium proponi, tractari, & prævia consultatione matura concludi, & consummari, & ad eadem consultandum, concludendum, consummandum, & amplectendum. De presentatione vero, & insinuatione præsentium, Nuncij nostri in hac parte iurati stabimus relationi. Datum Ratisponæ, sub sigilli nostri Capitularis oppressione, die lunæ octaua Mensis Octobris. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo octauo.

